



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

Quod ad solum summum Romanum Pontificem spectat de fide, & hæresi
determinare. cap. ii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

QVOD AD SOLVM SVMMVM RO

manum Pontificem spectat de fide, & heresi
determinare. Cap. II.

S V M M A R I V M.

- 1 Ad solum Pontificem spectat de fide, & heresi determinare.
- 2 Papa succedit Petro in administratione personali, Christo autem in officio.
- 3 Petrus Antiochie primo cathedram Episcopalem suscepit, quæ postea Romam translata est.
- 4 Papa in omnibus ecclesiis totius mundi iurisdictionem habet, sed singulariter est Romæ Episcopus.



Nuictissime, clementissime Rex noster per
superius dicta ad solum summum sacrum
Romanum Pontificem spectat de fide, & he-
resi determinare; & de his etiam, quæ perti-
nent ad unitatem diuinæ essentiae, & ad na-
turam humanam à Dei filio assumptam: & de hoc tractat
August. de Ancona in suo tracta. de potestate ecclesiastica,
quæst. x. xj. xij. xij. Et per ea, quæ superius diximus, dicen-
dum est, quod Papa succedit Petro in personali admini-
stratione: Christo autem succedit in officio, ut in vniuer-
sali iurisdictione: & reservata Deo, videntur reservata Pa-
pæ eius vicario, de hoc videbis supra in c. j. & in c. xvj. in-
fra in isto libro. Et factum à Papa, & à vicario Christi, cense-
tur factum à Deo, cuius locum Papa tenet in terris. ita Pa-
nor. in c. quanto, de translat. Episc. Quamvis fuit Petrus
administrationem primo habuerit in Antiochia, postea ta-
men iubete Dño Romam transfudit, ut in c. rogatus, xxiiij.
q. j. Itaq; Antiochia primo cathedrâ Episcopalem suscepit,
quæ postmodum Romam translata est, ut in c. sacrosancta
Romana, & Apostolica ecclesia. xij. dist. unde singulariter
prima Apostoli Petri sedes est Romana ecclesia. Quia verò
Papa succedit Christo in officio, & vniuersali iurisdictione,
quoniâ Petrus (ut superius dixi) in persona omnium sum-
morum Pontificum recepit vniuersalē iurisdictionē à Chri-
sto non in vno loco, nec in vna gente singulariter, sed vni-
uer-

uerfaliter in toto orbe, iuxta illud Matth. xvj. Tibi dabo
claves regni calorum; & quodcunque ligaueris super ter-
ram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris su-
per terram, erit solutum & in cœlis. & Ioan. xx. Pasce, &c.
ideo † Papa non solum habet (vt dixi) iurisdictionem Ro-
mæ, sed vniuersaliter in omnibus ecclesijs totius mundi.
Quantum verò ad officium, & vniuersalem iurisdictionem,
Papa est Episcopus vniuersalis ecclesiæ, & Episcopatus v-
nus est: sed quantum ad personalem administrationem
singulariter est Episcopus Romæ propter rationem iam
dictam. Sed itorum est aduertendum, quòd sedes Petri
primitus Antiochiæ fuit, postea iubente Domino Ro-
mam translata est, ad quam cuncta maiora negotia diuina
disponente gratia iussa sunt referri, vt in d. cap. rogamus,
xxlij. quæst. j. vt ab ecclesiâ Romana regulariter disponan-
tur, à qua sumpserunt principia: & inter Apostolos solus
Petrus primatum gerebat, vt dixi in c. præcedenti, & vt in
c. Paulus Petrum. ij. q. vij.

QVOD PAPA, CVM TENEAT PRIMAM
*sedem, habet auctoritatem congregandi concilium
generale. Cap. III.*

S V M M A R I V M.

1. Papa habet auctoritatem congregandi concilium generale.
2. Concilium debet habere caput, & membra.
3. Prima salus est recte fidei regulam custodire.
4. Quod Romana seruat ecclesiâ, ab omnibus seruari debet.
5. Decretales epistolæ in canonicis scripturis connumerantur.
6. Sanctorum dicta an sint necessario obseruanda.
7. Cum diuersitas est inter dicta sanctorum, & Pontificum, quibus standum.
8. Qui transgreditur Canones, hereticus reputatur.
9. Omnia membra sequi caput debent.
10. Mos populi, & instituta patrum pro lege habenda sunt.
11. Pape sufficit, quòd per Legatos suos concilio inter sit.
12. Insignia Apostolicæ sedis quæ sint.

Item